

re, dum lucro apponit, si id servet, aliquid plus vix sibi sperare permittit, & usuris tanto libenter ut careat, a se impetrat. Tanta est vis veritatis, ut ex audacis Hæretici pectori hæc extorserit. Tametsi enim ille ea subinde adulterare Scripturarum sensa conetur; tamen hæc, quæ vel coactus confessus est, satis sunt ad magis firmandam sententiam nostram.

VII. Refellenda nunc essent commenta Nicolai Broedersen. At hæc innumera sunt. Nonnulla perstringam. Primum lib. 4. cap. 3. narrat, Dominicum SOTO existimare in laudato Lucæ textu non contineri præceptum: idque confirmat illius Interpres Italus. Quod quidem verum habet id primo Sotum asserere, sed is continuo subdit ibidem lib. 6. part. 1. art. 1. concl. 1. Præterea illa evangelica sententia subministrat vim argumento per locum a majori, nempe, quod si Christus consuluit, ut neque gratuitum donum speremus ab hominibus, quod licite possunt rependere, a fortiori consequitur, neque expectandum esse pretium usus, quod justitia vetat. Quod argumentum supra inculcavimus. Perperam ergo Broedersen, ejusque Interpres obtrudunt SOTI autoritatem, quasi is negaret, evangelicam legem vetare usuram. Sive enim una, sive altera textus parte veritatem propugnet SOTO, vitilitigoris est aliqua obtrudere verba, quæ lectorem ad dubitandum inducant, num negaverit ille vetari usuram in Evangelio; atque adeo id negaverit, quod sine hæresi apertissima negari nequit.

VIII. Omnia Broedersen commenta eo tendunt, ut probet, Christum præcipere mutuum gratuitum indigentibus, minime vetare mutuum scènere dandum mercatoribus dvitibus. Inquit enim loc. cit. cap. x. §. 1. num. 4. Ex eo quod debeamus rerum nostrarum V. G. pecunia usum ex charitate donare indigentibus, non sequitur, usum illarum V. G. dvitibus mercatoribus, aliisque non indigentibus, quibus usus ex charitate donari nullo jure debet, justo ex peritorum iudicio, aut lege non esse vendendum premo.

Itaque falsum est.... verba Christi, in quacumque accipiuntur explicatione, prohibere aliquid exigere pro usu pecuniae a quocumque.... Apage ejusmodi sophisma, nonnisi dolo malo, ad fallendum nimirum incautos lectores, excogitatum. Audistin illuminati cæbri hominem; hominem qui se Catholicum jactare non erubescit? Hanc futilem distinctionem universæ antiquitati ante Calvinum, & Molinæum incognitam, jam supra rejecimus, & iterum infra luculentis Patrum testimonis profligabimus.

IX. Alii Recentiores suo calamo textum hunc interpretantur. Aliqua si de summa perstringam ex Italo Interpreti Broedersiano. Is igitur in Opere Dell' impiego del danaro lib. 1. cap. 4. pag. 37. sic habet: Mirabile cosa è, come sentenza dall' umano intendere così diverse, venga principalmente fondata sopra un detto, che significa tutt' altro, e che di tutt' altro intende, e che veramente a questa controversia non si riferisce. Ognun previene, che di quelle parole si tratta Mutuum date, nihil inde sperantes.... Et pag. 39. Come mai si fa entrar qui, e da che mai si ricava un precezzo generale di non dare a niuno somme di danaro con frutto.... Et præterea pag. 41. subdit: Ma considerando ancora precisamente le parole, di cui trattiamo, come si è potuto credere, che se il Salvatore avesse voluto dire senza esiger frutto, avesse detto Nihil sperantes? Ognun vede che avrebbe detto nihil exigentes, ovvero nihil lucrantes, non mai sperantes, perchè niuno ha mai parlato in tal guisa; l'usura, quale attualmente s'impone, non essendo mai detta speranza. Post multa contendit nec Basilium, nec Ambrosium, nec Hieronymum, nec cæteros Patres hunc textum adversus usuram allegasse. Tandem, cum Broedersen, Dominici SOTO textum transcribit. Infra palam faciam, non modo Theologos omnes Catholicos, recensita commenta tamquam gravissimos errores improbare, sed vel hæreticos ipsos fateri. Patres Sanctos docere, moderatam usuram a Christo prohiberi.

X. Unum

X. Unum obiter recordor, nempe novissimos istos commentatores, qui integrum Christi sermonem meditandum inclamat, animum minime intendisse ad potissima divini ejusdem sermonis principia, quorum unum est vehemens Christi Domini adversus dites increpatio. Hæc siquidem prædunt laudatum textum: Verumtamen vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. Vobis, qui saturati estis, quia esurietis. Vobis, qui rideatis nuuc, quia lugebitis, & flebitis. Vobis benixerint vobis homines. Secundum hæc enim favebant Pseudo-prophetis Patres eorum. Similia referunt Matthæus, Marcus, Joannes, & Paulus. Dvitiarum contemptum Servator Divinus exaggerat. Dvitibus formidanda minatur, periculumque æterni naufragii iisdem vehementer inculcat. Contra non modo juxta novissimos istos Scripturarum Interpretes illis inhibere lucro permittitur, sed ut facilius exempli cupiditas possit, thesauros prolibito cumulate, usurasque exercere conceditur. Si dixerimus, eos, qui talia scribere audent, ipsa prima evangelicæ legis elementa graviter ignorare, an æquo gravius quidquam pronuntiaverimus? Verum hæc obiter. Forte plura infra dabimus. Sciant etiam novissimi Interpretes isti, Tertullianum, Basilium, aliosque plures Patres, & Concilia Carthaginense 1. can. 13. Parisiense 6. can. 53. Lateran. 2. sub Innoc. III. can. 13. Lateran. 3. sub Alexand. III. can. 25. Avenion. can. 3. Albiens. can. 62. Mediolan. 1. cap. de usur. Lateran. sub Leone X. Sess. x. Alexandrum III. cap. Super eo extra de usur. Urbanum III. cap. Consuluit. atque Innocentium Tertium eodem titulo laudatum textum allegasse adversus usuram. Sciant denique, omnes Patres, omnes Theologos, semper docuisse ultraque lege, & veteri, & Evangelica, usuras vetari. Quod autem hoc, aut alio textu; hoc, aut alio principio, id evincant, ad rem ipsam, quod attinet, perinde est. Tamen, ut Broedersen, qui se Catholicum ostentat, & tanta temeritate audet effutire nihil ad evincendam usuræ prohibitionem conduce re textum evangelicum Lucæ, pudeat aliquantis per audacie suæ, lubet proferre in medium Canonem auctoritate gravissimum, quo sane os loquentis iniqua obstruitur. Igitur Concilium Lateranense sub Leone X. anno 1512. hæc definit: Dominus noster, Luca Evangelista attestante, aperto nos præcepto obstrinxit, ne ex dato mutuo quidquam ultra sortem sperare debeamus. Ea enim est propria usurarum interpretatio, quando videlicet ex usu rei, quæ non germinat, nullo labore, nullo sumptu, nullo periculo lucrum, fructusque conquiri sudetur. Quid ad hæc Broedersen, ejusque Italus Interpres?

§. XI.

Pyrrhonismus ab Author Operis inscripti: Dell' impiego del danaro suis interpretationibus in divinam Scripturam invenitus.

I. Non modo Author Operis Dell' impiego del danaro in erroneum sensum, omnium licet Doctorum Catholicæ Ecclesiæ consensu repugnante, detorquet Scripturæ divinæ oracula, verum etiam ea præjacet fundamenta, quibus admissis, nutat universæ Scripturæ auctoritas. Ex multis, quæ ille tum in Historia Theologica, tum in hoc opere scribit, species quædam Pyrrhonismi, & Septicismi consequi videtur in divinis Oraculis aut suscipiendis, aut reiiciendis. Pauca cursim delibabo. In dicto Opere Dell' impiego del danaro lib. 1. cap. 3. ubi hæc Levitici verba interpretatur: Nec amplius, quam dedisti, postquam contra omnium Catholicorum sensum præfata verba commentatus est, hæc adjicit pag. 28. Se le parole ec. Nec amplius quam dedisti, non fossero incorporate, come sono, ma facessero casa da se; talchè sembrasse venissero a imporre in universale di non esigere da chiunque sia, e non solamente frutto grave, ma niente di più quam dedisti; allora si risponderebbe poter si perragioni

I
gioni

gioni non disprezzabili sospettare, che quelle quattro sillabe quam dedisti, non ci vengono dall'Interprete, ma piuttosto da scorrere, e fossero un aggiunta di antichi copisti, che si credettero quella, o simil parola esser necessaria a compir il senso. Di tal particella non c'è orma nel testo Ebraico, e neppur nella versione Greca, nè in verun'altra delle antiche. Præterea pag. 29. Della intrusione di quelle due parolette non sarebbe da far maraviglia alcuna.

II. Plures paginas implet, ut istam verborum intrusionem evincat. Ut absurdia, quæ ex hoc commento proficiuntur, perspecta habeas, considerandum est de Dogmate explicando negotium agi. Contendit Author noster, solam usuram mordentem, & immoderatam a Deo vetari. Altro qui non si vede mai, se non rimproverar l'usura, che fra gli Ebrei correva qual era FURIOSA, E INSOFFRIBILE. Quoniam vero laudatus Levitici textus absolute, nulla sine pauperum, sine dilitum distinctione facta, omnem usuram improbat; ideo confudit ad citatum commentum. Quod licet se se illud eruditionis gratia Author proponere afferat, non propterea minus perniciosum est vulgatae nostræ authoritati. Accedit, quod verba laudata: *Nec amplius quam dedisti*, quæ leguntur in Levitico, repetuntur ab Ezechiele Propheta, ut ex dictis patet. Quare spiritus Scripturæ huc spectat, ut omnem omnino usuram, & a quocumque acceptam damnet. Dicat ergo oportet Adversarius, intrusa quoque esse Ezechielis verba, fateaturque, se, suam ut oraret causam, Pyrrhonismum in rejiciendis, aut admittendis divinis Oraculis invexisse.

III. Pejora sunt quæ scribit in hoc Evangelicum Oraculum: *Mutuum date nihil inde sperantes*. Inquit enim pag. 214. Un preцetto di tanta conseguenza, e che tanto influisce nel bene, e nel male delle famiglie, e degli stati, farà appoggiato a una voce usata ACCIDENTALMENTE dal Traditor Latino, che potea ugualmente servirsi d'altra? S'egli dicea qui commode, in yece di mutuum da-

te, come potea dire, e come altre volte disse, tutta questa DOTTRINA del mutuo svaniva. Pape! si etiam Interpres dixisset: *Hæc est figura corporis mei*, loco aliorum verborum, *hoc est corpus meum*, tota lis de Eucharistia evanuisse. Pergit Author. Il Salvatore per altro non disse certamente mutuum, perchè parla va Siriaco... Il Vangelista non disse mutuum date, perchè scrisse in Greco. Prætero commenta, quæ in hunc textum lib. 1. cap. 4. congerit. Hæc, quæ indicavi, satis evincunt, Authorem istum Pyrrhonismum in divina Scriptura interpretanda invehere. Quid? casu, fortuito, accidentally, verba hæc, mutuum date, irrepsero in Vulgatam nostram? Interpres latinus absque ulla consideratione, accidentally, hæc verba, mutuum date, usurpavit? Quis Catholicorum similia umquam scripturavit? Perchè, scribit pag. 46. dovremo aver per legge, e da doversi effettivamente eseguire, quel solo SENSETTO, che fa menzion del prestare? Le sentenze del Salvatore nostro, quali debbono servir di regola alla nostra vita, vanno sanamente intese. Alcune volte sono stimoli alla virtù eroica, e somma: alcune volte sono consigli, e non leggi: alcune volte convien sottintendervi la riserva delle circostanze: alcune volte non sono affermazioni precise, ma modi usati di faveliare.

IV. Hæc, & innumera alia similia congerit, ut demonstret, nullum in Evangelio extare adversus usuram præceptum: quod erroneum commentum universæ Catholicorum doctrinæ adveratur. Porro hac interpretandæ divinæ Scripturæ libertate posita, quid firmum, quid inviolatum, quid certum in eadem deinceps habebitur? Theologorum quisque hoc jus explicandæ pro ingenio legis arrogare sibi poterit. Sed quid dico Theologorum? Laicorum quilibet reserare divina arcana audebit, exemplo motus Authoris nostri, qui sublimiores divinæ Theologiæ controversias dirimendas sibi assumpsit, quin umquam prius eisdem studuerit, aut de eisdem cogitaverit. Idipsum, quod

quod certe prodigi specimen præfert, propriis illius verbis firmatum habeto. Hæc autem scribit in Introductione ad citatum Opus Dell'impiego del danaro pag. xv. E' avvenuto ancora, che non pochi . . . m' abbian richiesto con gran premura di prendere questa materia per mano. Me ne sono difeso un pezzo, siccome quegli, che a tal punto non avea pensato giammai. In Præfatione quoque in editionem Historiæ Theologicæ pag. ix. hæc nobis perhibet. Benchè di tal materia ei (l'Autore) non ci avesse ragionato giammai, nè fattone studio particolare alcuno sopra di questa, non pertanto ec. Quis umquam similem agnoverit hominem? Quis hic portenti aliquid non admiratur? Alterutrum sane dicamus oportet. Aut divinitus illi infusam scientiam: aut quæ ignoravit, typis prodidisse. Primum credere Scriptura vetat, nisi signis manifestis probetur. Alterum ceteris discutiendum relinquimus. Quod mihi dolet, meque pene conficit, est, quod vir iste in Tractatu Dell'impiego del danaro, omni bus Catholicis se se opponit: doctrinæ non modo Ecclesiæ suæ particularis, sed universalis quoque bellum indicit; & in divino Verbo interpretando Pyrrhonismum invehit. Qua si quidem libertate ille aperte afferat innovatam esse seculo XIII. in Ecclesia de usura doctrinam, eadem contendent alii contigisse innovationem in quacumque materia. Si enim in una, quidni & in alia id accidere potuit? Laxam de usura doctrinam tradidisse Scripturam, & Patres: rigidam vero severamque induxit seculi XIV. Doctores, ostendere conatur. Nihil ergo certum, nihil firmum, nihil inconcussum deinceps ex divina Scriptura colligere licebit, usque dum ratio interpretandæ Scripturæ, quæ in Opere Dell'impiego del danaro traditur, immuniis a censura consistit: atque adeo illa stante, species Pyrrhonismi necessario consequi videtur, in ipsis divinis litteris interpretandis. Hæc recordari Lectoribus operæ pretiam existimavi. Omnia tamen Sapientum iudicio submitto.

C A P U T I X.

Sancti Ecclesiæ Patres usuram omnem, sive parvam, sive a divitibus, sive a pauperibus perceptam improbant. Duplicitus usuræ distinctio inventa a Calvinio, Molinæo, & adoptata a Broedersen cum suis, in sanctorum Patrum nemine reperitur.

L. **O**mnium Patrum textus hic affere minime in animo est, quod alii egregii viri fuso calamo hæc Patrum testimonia recensuerint. Nonnulla majoris momenti in alio Tractatu dabo. Pauca hic perstringam, ut suscepimus muneri faciam satis. Et primum, Patres notionem, naturamque usuræ ex mutui contractu, lucro accidente, repetunt. Illam quippe vocat Tertullianus lib. 4. contr. Marcion. c. 17. *Fornoris redundantiam*. Lactantius lib. 6.

Divin. Institut. inquit: *Plus accipere, quam dederis, injustum est*. Clemens Alexandrinus lib. 2. Strom. Ex usuris pecunias colligere, non æquum esse, scribit. Basilius in Psalm. 14. usuram esse ait, *Plus quam sortem accipere*. Ambrosius lib. de Tob. cap. 13. *Usura est quodcumque sorti accidit*. *Quod velis ei nomen imponas, Usura est*. Hieronymus in 18. Ezechiel. te reum usuræ crimen damnat, si plus acceperis, quam dediti: & Augustinus in Psalm. 36. si plus quam de-
I. 2. dediti,

disti, expectas accepere. Hæ sunt notiones, quæ SS. Ecclesiae Patres nobis ex divina Scriptura erutas, & a majoribus suis acceptas tradiderunt.

II. Vestigium distinctionis duplicis usuræ illicitæ, & licitæ, noxiæ, & innoxiae apud Patres nullum. Errasse Patres omnem usuram damnantes defendunt hæretici, ut infra palam faciam. Nicolaus Broedersen, ne hæreticus palam audiret, conatus est venditare Lectoribus, Patres usuram immoderatam dumtaxat, aut a pauperibus exactam, improbare; secus, ut vidimus supra, moderatam, & a divitibus solutam. Doctrinam Broedersen, seu Calvini, & Molinæi, amplexati alii sunt. Hi omnes non modo Patribus omnibus errorem injuria summa affingunt; sed usuræ notionem cum ejusdem effectu turpiter confundunt. Furtum suapte natura vitium est. Flagitiosum tam respectu pauperis, quam divitis est. Aliud est damnum, quod crimen consequitur, aliud, in quo criminis natura sit. Usura quippe apud Patres, apud Catholicos omnes, crimen, scelusque fuit semper.

III. Ineptissima igitur cavillatio Broedersen, & aliorum præfocatur. Patres in suis ad Fideles sermonibus, ut usuræ flagitium detestandum vividis coloribus repræsentent, damna, quæ illud consequuntur, uberi eloquentia expoununt, exaggerantque. Si quis de adulterio, de ebrietate, de ambitione, de homicidio, & de quolibet fere vitio, quod in proximum perpetratur, ad populum concionem haberet, solas ne vitorum notiones perhiberet? Adulteris etiam mala gravissima, nempe successionis confusionem, patrimonium legitimis hæredibus eruptum, injustiam, infamiamque marito irrogatam, fidem thori violatam, & cetera hujusmodi, vehementi oratione completere-
retur. Dicendum ne propterea, adulterium, marito consentiente, & nulla succedente prole, aut satis proviso nascituræ, neminique damno irrogato, innoxium esse? Hoc sane de usura ad-
firmat D. Broedersen. Communiter in-

digentes, & attenuati pecunias mutuo querunt. Avari homines ex istorum calamitate proventum faciunt, pauperum sanguinem sorbent, pellem excoriuant, carnem populi Dei comedunt. Usura tunc, præter suam innatam injustiam, inhumanitatem, crudelitatem, & feritatem addit; & non modo justitiae, sed charitatis, & humanitatis leges violat. A divitibus exacta adeo horrendas calamitates non parit: & quoniam nihil ad commovendos infle-
ctendosque animos efficacius conductit, quam exaggerare quæ sensus percel-
lunt, magisque animi motus excitant; idcirco Patres, dicendi artem optime callentes, dum adversus usuram declamant, oppressos, voratosque pauperes depingunt, ut usuræ injustitiam, & inhumanitatem avaris hominibus expro-
brent. Propterea ne usuram exactam a divitibus innoxiam pronuntiarunt? Quid, quod genuinas illius notiones nobis perhibent? Quid, quod usuras ab ipsis etiam divitibus, & negotiatoribus (quamquam non ita frequenter) damnent, atque execrentur? Cur autem non ita frequenter usuræ hujusmodi detestarentur a Sanctis Patribus, in causa fuit, quod ars perorandi id non postulabat; siquidem istæ haud ita passim serpebant, sicuti cæteræ paupe-
res opprimentes, devorantesque. Logica ergo Nicolai Broedersen in exponen-
dis Patribus ineptissima est.

IV. Provocandi ergo sunt iterum homines isti, qui peculiari sane jure Sacra Antiquitatis interpretandæ peritiam ostentant, ut vel vestigium in Scripturis, in Patribus, in Conciliis, istius duplicis usuræ nobis patefaciant. Nec Calvini, Molinæi, aliorumque cramen recoquunt, loca obtrudentes, in quibus pauperum oppressiones exag-
rantur: quoniam, cur hoc factum sit, rationem, & quidem solidam dedimus. Sed loca perhibere debent, in quibus clare, aperteque dicatur, usuras exactas a divitibus, & mercatoribus innoxias, honestas, licitasque esse. Donec hoc non ostenderint, intelligent illi, se nullum nobiscum de usura certamen ini-

inire posse. Quoniam nos in medium textus ex Scriptura attulimus, qui absolute, & perspicue, nullaque adjecta limitatione, usuram quamlibet dam-
nant. Ex Patribus quoque textus non nullos dabimus.

V. Sed alia argumentatione Adver-
sarios preimus. Aliqæ Romanæ le-
ges usuras, non sane opprimentes, non immoderatas, non pauperum devora-
trices, sed moderatas permiserunt. Pa-
tres omnes in has usuras investi sunt.
Quid illis facilis, quam populum in-
struere, & docere, usuras nimias, aut ab egenis exactas improbas esse: Mu-
tuandum pauperibus, aut indigentibus
gratis, & ex charitate, prout lex Chri-
stii jubet: Contra vero ad rem familia-
rem augendam, ad sustinenda familiae
onera, ad conservandam dignitatem,
decorem, statum &c. fœnerandum mer-
catoribus esse, distrahendas pecunias,
non in negotiationem ipsam immediate
exercendam, sed in personas, quæ il-
lam negotientur hoc pacto, ut, salva-
forte, accessionem in singulos annos
solvant. Hoc profecto docuissent, &
docere expresse debuissent Patres, si
has duas usuras, unam criminosaam,
alteram innocentem, lex divina distin-
gueret. Quid facilis illis fuisset, le-
ges divinas simul & civiles consocia-
re? Suspicandum ne, Patres Sanctissi-
mos, Dei lumine perfusos in instruen-
dis Fidelibus eorum sollicitudini a Deo
commissis, tam graviter defecisse?
Tanti momenti distinctionem non do-
cuerunt populos suos? Quin eorum
conscientias tam immaniter gravarunt,
angustiarunt, nihil inter usuras licitas,
& illicitas distinguentes? Adeo ne im-
providi, &, ne quid gravius dicam,
incauti Patres sancti, ut fidelium ani-
mas laqueis irretirent, ut scrupulos iis-
dem injicerent, & vana Religione ob-
ductis gravissimam peccati ansam vel
in eo præderent, ubi peccatum non
erat? Augustinus exponens Psalm. 70.
versiculum: *Quoniam non cognovi litteras* (tempore eo legebatur, non
cognovi negotiationes) *vitia, fraudes,*
dolos mercatura describit, detestatur.

At continuo subjicit: *Ista hominum, non rerum peccata sunt . . . ipsi mali sunt, non ars, quam profitentur.* Idem de usurpa dici potuisse, si usuram mode-
ratam a divitibus, & iis, qui commo-
de solvere illam valent, (quoniam ex pecunia fœnebri & ipsi lucrantur) exactam, honestam, ac Dei lege pro-
batam, Patres agnoscissent. Eodem prorsus modo, ac de negotiatione scri-
psit Augustinus, dixissent uno ore:
Peccata hæc sunt fœneroris, non fœnoris. At nullibi istius distinctionis mem-
inere. Ergo distinctio isthæc inane commentum est, ante Calvinum, & Molinæum prorsus incognitum, quodque Nicolaus Broedersen, & ejusdem Interpres Italus, ex eodem Calvinio, & Molinæo rescriptum adoptarunt. Aliorum Patrum testimonia modo proferam.

TERTULLIANUS lib. 4. contr. Marc. cap. 17.

Hic nunc de fœnore, cum interponit: Et si fœneraveritis a quibus speratis vos recepturos, quæ gratia est vobis? Per-
curre sequentia Ezechielis de eodem viro
justo. Pecuniam, inquit, suam fœnori
non dedit, & quod abundaverit, non su-
met, fœnori scilicet redundantiam, quod
est usura. Prius igitur fuit, ut fructum
fœnori eradicaret, quo facilis assuface-
ret hominem ipsi fœnori sic forte perden-
do, cuius fructum didicisset amittere. Hanc
enim dicimus operam legis fuisse procuran-
tis Evangelio. Quorundam tunc fidem
paulatim ad perfectam discipline christia-
ne nitorem primis quibusque præceptis
balbutientis adhuc benignitatis informabat.
Commenta, quibus eludere hunc tex-
tum Broedersen lib. 5. cap. 10. nititur,
prætero, ne opus in immensum ex-
crescat.

S. CLEMENS ALEXANDRINUS lib. 2. Strom.

*Dæ largitione, & communicatione, cum
multa dici possunt, sufficit hoc dicere, quod
lex prohibet fratri fœnerari, fratrem no-
minans*

minans non cum solum, qui ex iisdem natu-
tus parentibus, sed etiam qui fuerit ejusdem.
Tribus; ejusdemque sententiae, ejusdem verbi
particeps, non aequum censens, ut ex pecuniis
usuras legamus, sed laxis manibus, &
animis gratificemur egentibus. Jam vero,
qui lubenter largitur, satis magnas accipit
usuras, quae sunt apud homines pretiosissi-
ma, nempe mansuetudinem, benignita-
tem, magnificentiam, bonam famam, lau-
demque, & gloriam. Cavillatur Broeder-
sen lib. 5. cap. 9. vocem egentibus, sed
frustra, ut demonstratum est. Quid
quod non pauperes modo, sed etiam
divites non raro egent; egentque &
mercatores etiam opulent. Quid inde?

LACTANTIUS Divin. Instit.
lib. 6. cap. 18.

Pecuniae, quam crediderit, non accipiat
usuram, ut & beneficium sit incolume,
quod succurrat necessitati, & abstineat se
prosperus alieno. In hoc enim genere officii
debet suo esse contentus, quem oporteat
alias ne proprio quidem parcere, ut bo-
num faciat. Plus autem accipere, quam
dederit, injustum est. Quod qui facit,
infidatur quodammodo, ut ex alterius ne-
cessitate praedetur. At justus nunquam
praetermittet, quo minus aliquid misericor-
diter faciat, nec inquinabit se hujusmodi
quaestu, sed efficiet, ut sine ullo danno id-
ipsum, quod commodat, inter bona opera
numeretur. Item in Epitom. cap. 4.
Non furabitur; nec omnino quidquam con-
cupiscet alienum. Non dabit in usura pe-
cuniam; hoc est enim de alienis malis lu-
cra captare; nec tamen negabit, si quidem
necessitas cogit, mutuari. Usuræ finitio-
nem perhibet Lactantius. Numquid
eam in excessu constituit? Absit. Hæc
sunt illius verba. Plus autem accipere,
quam dederit, injustum est. Broedersen
lib. 5. cap. 14. obtrudit, cavillaturque
verba misericordiae & necessitatis. Sed
frustra de more. Nam re ipsa gratuitum
mutuum opus misericordiae est. Et ei,
qui pecunia opus habet, sive pauper,
sive dives, res mutuatitiae creduntur.
Alia vana excogitata. Broedersen præ-
tereo.

EUSEBIUS CÆSARIENSIS
In Psal. 14.

Qui pecuniam suam non dedit ad usu-
ram, & munera super innocentes non ac-
cepit. Quia interdum contigit eum, qui
jam commemorata gesta executus est,
circa munerum captationem, & usuram
claudeare, ac eritudine laborare, huic
quoque morbo remedium applicat. Nam
qui Regni Cœlorum causa, & ex ipso erga
proximum suum amicitia, & benevol-
entia, sic probe se agit, is elargitur qui-
dem, sed non ea mente, ut mercedem ab
hominibus accipiat. Is enim sibi, ceu in
thesauro recondit, sibiique reservat pro fu-
tura Dei remuneratione. Et munera su-
per innocentes, non accepit. Is fortasse
munus admittat, dum nihil molestiae
detrimenti nihil offerentibus importet. Si-
casu eveniat, ut in alterius detrimentum
vergat, tunc si munera accipiat, omnia,
que supra dicta sunt, prospers evertit.

S. ATHANASIUS In Psal. 14.

Domine quis habitabit in tabernaculo
tuo? Qui incedit sine macula. Docet qui-
bus modis beatum hunc finem consecuti-
ri sumus. Primo quidem, si immaculata
via incedamus, que est ipse Christus:
Deinde, si operemur justitiam. Tertio si
cor nostrum veritatis domicilium paremus.
Quarto, si dolosa instructi lingua non si-
mus. Quinto, si malum proximo non ad-
feramus. Sexto, opprobrio proximum non
superbe afficiamus. Septimo, si personam
non accipiamus. Octavo, si juramenti si-
dem non violemus. Nono, SI NON FO-
NEREMUR. Decimo, quod est omnis com-
plementum boni, si muneribus pervii non
simus. Qui horum equitatem, ac meri-
tum edidicerit, firmam, atque immotam
bonorum donationem nanciscetur. Adeo
decretoria sunt hæc Athanasii verba,
ut Nicolaus Broedersen nihil reponere
ausit lib. 5. cap. 16. nisi hoc futile com-
mentum. „ Hoc solum ex istis Atha-
nasii verbis colligitur, Davidem in
hoc Psalmo docere, non esse exer-
cendum illud fœnus, quod in lege:

25. ve-

ADVERSUS USURAM DISSERTATIO I.

„ vetatur. Anne veri colore dici pot-
est, Athanasium per dicta verba sic
explicasse leges Exodi 22. Si mutuum
dederis populo meo pauperi &c.... ut
per populum pauperem.... sint in-
telligendi ditissimi“. Hæc audax
interpretatio universam Prophetatum,
& Patrum traditionem penitus ever-
tit. Lex Moysis non explicanda juxta
sensus Prophetarum, & Patrum: sed
Patres, ac Prophetæ revocandi ad le-
gem sunt. Quo hæc tandem recidunt?
Huc sane, quod Prophetæ, & Patres
aberraverint, absolute usuram damnando.
Et ne illos errasse dicamus, in-
terpretari debemus, eosdem improbasse
usuram in sensu legis Mosaicæ, videlicet
(ut illi volunt) respectu paupe-
rum, non item respectu divitium. Por-
ro hæc Broedersen, & ejusdem Itali Inter-
pretis doctrina heretica est, ut proba-
tum est hactenus.

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS
Homil. 41. in cap. 17. Genes.

Vide humanitatem Domini. In sensibili-
bus pecuniis prohibuit, ne quis usuram
acciperet. Quare, & ob quam causam?
Quia uterque magno damno afficitur. Nam
debitor quidem inopia atteritur, creditor
autem augens divitias, peccatorum accu-
mulat sibi multitudinem. Proinde ab ini-
tio olim Judæis crassioribus tale dedit
præceptum, dicens: Non fenerabis fratri
tuo, & proximo tuo. Qua igitur excusa-
tione digni erunt qui Judæis sunt inhu-
maniores, & post gratiam, & tantam a
Domino benignitatem, inveniuntur iis,
qui sub lege fuerunt, inferiores, immo-
peiores? Plurima alia prætero, quæ
sexcentis in locis Chrysostomus habet.
Quæ in hunc textum congerit Nicolaus
Broedersen lib. 5. cap. 25. eviden-
tius patefaciunt, eum, & illius Inter-
preterem Italum ab imis suffodere omnia
traditionis fundamenta. Hæc sunt verba
Broedersen loc. cit. num. 6. „ Procul
„ dubio omnem usuram improbam in-
„ terdictam esse docet hic Chrysosto-
„ mus. Sed anne sanctus ille Pater
„ Pro usuris criminosis habuit innoxias

„ nostras pecuniarum collationes, sive
„ usuras, quæ inter peculiares, nulla
„ necessitate laborantes, sine ulla læ-
„ sione, & fraude exerceantur, istud
„ colligendum est ex ratione, qua o-
„ mnes vitiosas usuras cenlet esse da-
„ mnatas ... Apertissimum est, ra-
„ tionem istam solas noxias, & oppri-
„ mentes respicere; nullo modo inno-
„ xias nostras negotiationes“. Dum
Prophetæ sancti absolute usuras da-
mnant, configunt Broedersiani ad le-
gem Mosaiacam. Dum Patres idem do-
cent, malaque insuper designant, quæ
usuram consequuntur, tum cavillan-
tur, Patres damnare usuras, quæ da-
mnum, secus illas, quæ commodum
inferunt. Quibus arbitrariis interpre-
tamentis admissis, nutat omnium Pa-
trum authoritas, omnisque evanescit
traditio. Usuras istas negotiationis vo-
cat Broedersen: ejus vero Italus Inter-
terpes illas appellat fructus, & proven-
tus. Nullum est, ut saepius diximus,
in tota antiquitate istius futilis distin-
ctiuncula, quam Calvinus, & Molin-
næus excogitarunt, vestigium. Mitto
plurima alia commenta, quæ Broedersen
consarcinat, ut doctrinam luculentissi-
mam Chrysostomi obnubilet.

AUTHOR OPERIS IMPERFECTI
Homil. 12. incap. 5. Matt.

Jubet nos Christus mutuam dare pecu-
niam, non tamen sub usuris: quia, qui
sub usuris mutuum dat, in prima quidem
facie sua videtur dare, revera autem non
sua dat, sed alterius tollit. Nam videtur
quidem necessitati succurrere, revera au-
tem in majorem mittit necessitatem. De
uno vinculo solvit, & multis vinculis al-
ligat, & non propter proprium lucrum.
Similis enim est pecunia usuraria aspidis
morsui. Sicut enim qui ab aspide pere-
nit, quasi delectatus vadit in somnum,
& sic per suavitatem soporis moritur: sic
& qui accipit sub usuris pro tempore de-
lectatur, quasi qui beneficium accepit; &
sic per suavitatem beneficii non sentit
quomodo captivus efficitur. Nam sicut ve-
nenum aspidis latenter per omnia membra
dis-

discurrit, & corrumptit; sic usura per totas facultates ejus discurrit, & convertit eas in debitum. Sicut enim fermentum modicum, quod mittitur in multam farinam, totam conspersione corrumpit, & trahit illam, & facit totum fermentum; sic, cum usura domum alicujus intraverit, totam substantiam ejus ad se trahit, & convertit in debitum. Lege plura in Homil. 38. in cap. 21. Matt.

S. BASILIUS Homil. in Psal. 14.

Inepta Broederianorum commenta refelluntur.

I. Fusco sermone quascumque usuras sive modicas, sive immodicas, sive a paupere, sive a divite, sive a mercatore exactas detestatur Doctor sanctus Homilia in Psal. 14. adversus fœneratores; ubi primum n. 1. explicat quid sit usura. Ezechiel id in maximis malis recenset, si fœnus, & QUIDPIAM ULTRA SORTEM ACCIPIATUR. Notione usuræ præmissa, plures personarum status distinguit; pauperum nempe, divitum, & mercatorum; & respectu omnium usuras improbat. Nicolaus Brodersen lib. 5. cap. 19. de more innumeris cavillationibus contendit, S. Basilium solas usuras devorantes & immodicas, vel a pauperibus perceptas damnare. „ Apertum est (inquit) „ S. Basilium in toto isto textu allo- „ qui pauperes, quibus opibus pollent- „ tes ex humanitate, & charitate sup- „ petiari debuerant: quod deinde la- „ tius inculcat “. Eadem prorsus ob- trudit ejusdem Brodersen Italus Inter- pres lib. 2. cap. 1. pag. 88. Ora in que- sta Omilia null' altro fa il santo Padre, che detestare cbi con le usure enormi ri- ducea il prossimo in miseria, e cbi da- que' poveri le esgea, quali sian tenuti a soccorrere. Plura ibidem habet, quæ omnia eo pertinent, ut ostendat moderatas usuras a divitibus exactas non improbari a S. Doctore. Quam sint hæc a veritate aliena, & cum ipsa bona fide pugnantia, hi, quos nunc profero, S. Basilii textus luculenter evin- nore

cunt. Et primum S. Doctor sub ipsius Homilia initium, post datam usuræ finitionem, Broederianorum cavillum sibi opponit. Fœneratores quippe hic loquentes repræsentat. Verum ille graves usuras MUTUÆ pecunia exigit: sed nos profecto aliquid remitteremus, & MIGNORI daturi sumus fœnori. Arrigant hic aures Broederiani. Ex pecunia mutua exigi usuras ait S. Basilius. Non ergo vox mutui (ut per transennam repeatam) inventa est in usuræ finitionem saeculo XIII. quando cambiarono le doctrinæ, ut scribit Interpres Nicolai Brodersen. Sed S. Basilii textum rescribere pergamus. Talia confingens, verbisque ejusmodi blanditus misero, ac lenocinatus, ubi illum syngraphis obstrinxit, atque, præter urgentem inopiam, libertatem etiam viro abstulit, abit. Plura ibi vibrat in fœnora a pauperibus exacta. Continuum. 2. usuras a divitibus exactas infectatur his verbis. Argentum qui accipit, primum quidem splendidus, ac bilarius est, & alieno flore oblectatus mutatione vitae inclarescit. Lauta enim mensa est, vestis pretiosior, famuli splendidiore habitu induit, adulatores compotores, fu- ci domorum innumeri. Sed cum sensim difficiunt pecunia, tempusque progrederis secum fœnus advehit, tum ei requiem non afferunt noctes, non dies bilaris est, non sol jucundus, sed eum vita rædet. De usuris a mercatoribus perceptis sermonem ibidem habet. Quæ in ædibus habes perscrutatur: tua diligenter indagat commercia. Quid, quod S. Doctor conceptis verbis docet, neminem pauperibus fœnerari. Audi, quæ sequuntur.

Quamquam videmus non necessariorum indigos ad fœnus configere: neque enim sunt, qui eis credant: at fœnore sumunt pecuniam homines, qui se in laxiores impenas, & in luxum inutilem effundunt.

II. Vera hæc sunt, inquit, Brodersiani. At quid contra nos? Basilius insectatur usuras, quæ familias defolant; minime illas, quæ divites homines reddunt. Hoc est ultimum istorum effugium. Sed iterum illi S. Basilium audiant, qui hoc pacto eos pudore susfundit. Atqui, inquis, multi etiam fœ-

nore facili sunt divites. Quid respondet S. Doctor? At vero plures arbitrari ad laqueos pervenerunt. Tu porro ditatos quidem respicis, strangulatos vero non numeras. Quis tam effrons, ut neget Basilium hic de usuris loqui, quæ commodum quandoque divitiarum afferunt? Et tamen non minus istas, quam cæteras usuras damnat. Ubi in tota hac Homilia Calvinianæ, seu Broederianæ distinctionis vestigium? Ubi bona fides, ubi honestas, ubi pudor illorum, qui solas usuras opprimentes, & devastantes familias a Basilio improbari effuttiunt? Vehementiori utique, ac fusori sermone in usuras invehitur, quæ necessitatis occasione, non a pauperibus, quibus nihil pecunia creditur, sed ab hominibus, qui fundos, & bona habent, solvuntur. At simul usuras perceptas a divitibus, a mercatoribus, qui mutuatitia pecunia ditescere quandoque solent, rejicit, damnat, & clare detestatur. Duo verba Itali Interpretis Broderiani transcribo. Veggiamo inquit lib. 2. pag. 90. che UNICAMENTE delle enormità, & dell' oppression de' poveri il più antico, e in questa materia il più accreditato (S. Basilio) favella. Sic illuditur fidei publicæ? Data interpretatio nec illi plene arridet; idcirco e vestigio subdit: Si potrebbe avvertire ancora, che degli usurieri di professione ei ragiona, di essi intendendo anche nell' epistola prima ad Anfilochio. Broderiani passim semetipsos antilogis conficiunt. Si moderatum fœnus licitum, honestumque est, cur istius fœnoris publica professio infamis, cur turpis reputatur? Quod plurimi eadem abutuntur? At plurimi arte mercatoria abutuntur: propterea ne turpis, & criminosa est ars isthæc?

S. AMBROSIUS Lib. de Tobia cap. 6.

Lepida commenta Authoris Operis in scripti: Dell'impiego del danaro in S. Ambrosi doctrinam.

I. Nihil nequius fœneratoribus, qui aliena damna, sua lucra arbitrantur; &

dispendio suo deputant quidquid ab aliis possidetur. Aucupantur hæredes novos, adolescentulos DIVITES explorant, per suos adjungunt, se simulantes paternam, & avitam amicitiam, volunt domesticas eorum cognoscere necessitates. Si quam causam invenerint, accusant verecundiam, pudorem arguant, quod non ante de se speratum, atque presumptum. Sin vero NULLOS laqueos alicujus necessitudinis offenderint, intexunt Tabulas, ajunt nobile PREDIUM ESSE VENALE, AMPLAM DOMUM, ACCUMULANT PROVENTUS FRUCTUUM, ANNUOS REDITUS exaggerant, bortantur, ut coemant. Neganti se babere pecuniam, ingerunt suam, dicentes: utere ut tua: DE FRUITIBUS EMPTÆ POSSESSIONIS PRETIUM MULTIPLICABIS, debitum reddes. Sermo hic est de pecunia mutuatitia impendenda in agris, in fundis emendis, qui uberes proventus pariant. Festiva, & inaudita sunt inventa, quæ afferunt Nicolaus Brodersen lib. 5. cap. 22., & ejusdem Italus Interpretis lib. 2. cap. 105. & seqq. Eo omnia recidunt, ut ostendant, S. Ambrosium immoderatas improbare usuras. At vanissimam cavillationem his verbis retundit S. Ambrosius cap. 14. Et quia plerique refugientes, cum dederint pecuniam NEGOTIATORIBUS, non in pecunia usuras exigunt, sed de mercibus eorum, tamquam usuram, emolumenta percipiunt, ideo audiant quid lex dicat: Neque usuram, inquit, escarum accipies, neque omnium rerum, quæ fœneraveris fratri tuo. Fraus enim ista & circumscripicio legis est, non custodia. Et putas te PIE facere, quia a NEGOTIATORE, velut MUNUS, suscipis? Inde ipse fraudem facit in mercium prelio, unde tibi solvit in usuram. Fraudis illius TU Author, tu particeps, tibi proficit quidquid ille fraudaverit. Et esca usura est, & vestis usura est: Et QUODCUMQUE sorti accedit, usura est: Quod velis ei nomen (di pro, di frutto, di provento) imponas, usura est. Si licitum est, cur vocabulum refugis? Cur velamen obtexis? Si illicitum est, cur in-